

detur reddi, prospere expediet scil. pius sua cœpta, aut facta. Syrus: *Omne, quod facit* כִּי יַעֲשֶׂה *consummat vel perficit.*

EXPLICATIO VERSUS IV.

לֹא כֵן הַרְשָׁעִים *non sic impii*.) Sequitur, altera Psalmi pars de oppositâ impii sorte, quæ generatim his verbis proponitur, postea expolitur. Est verò concisum ac ellipticum in Ebræo loquendi genus, *non sic impii*, scil. prospere sua expediunt, vel *secundantur*, repetitô verbô præcedentis vers. aut juxta Luth. *so* (seind) &c. vel simplicius, negatur hisce verbis totus sermo præcedens de sequente puncto, cujusmodi exemplum clarum extat, 2. *Sam.* XVIII, 14. adeoq; simile est germanico: *nicht also*, ut sensus sit; nequaquam tali sorte impios gaudere, quantumvis florere, quandoque videantur, sed dispergi eos facillimè, &c. Bis verò reperit hæc verba *Vulg. non sic impii, non sic*; de quo posteriori (non sic) testatur Hieron. *in ebræis voluminibus non haberi, nec in ipsis quidem LXX. interpp. Nam in hexaplis Origenis, aut in Cesariensi Bibliotheca legens, semel tantum scriptum repperi.* Hodie tamen in edit. Anglic. Francf. & Hamb. אֵלֶּיךָ bis reperitur. Quibuscum facit Syrus, לֹא כֵן הַרְשָׁעִים suum iterando. it. Arabs & Æth. Aliter tamen legunt fontes, nec non Chaldaus, quos meritò præferimus cunctis versionum rivulis; licet hoc in loco parùm sensui decedat.

כִּי אִם כְּמִצָּחַשׁ תִּרְפָּנוּ רוּחַ *sed tanquam gluma, quam projicit ventus*.) uti pius antehac arbori bene radicatae ac florenti, & alibi frumento (quod *Aben Esra* hic annotat,) ita nunc impius glumæ exsuccæ, inutili, levi adeoque facillimè dispulsa, ut nullibi amplius compareat, comparatur. Quippe ebræum מִצָּחַשׁ (cui simile contemibile illud nostrum *Mus*) notat propriè non *pulverem*, ut *Vulg.* reddit, sed paleam lanuginemq; ex frumentô trituratô decusam, ceu clare dicitur *Os.* XIII, 3. Sicut *gluma, quæ turbine propellitur ab area*, item *Jes.* XLI, 15. sic paleis exurendis impii quoq; comparantur *Matth.* III, 12. Sic alibi quoque hoc simile in sacris exprimit subitam, facilem ac totalem disjectionem ac interitum, ut *Psal.* XXXV, 5. *Jes.* XVII, 13. *Zeph.* II, 2. *Job.* XXI, 18. Ita Luth. quoque & *Lekach tobh* reddunt *עֲרֵי* & *R. Nathan* in concord. exponit תִּכְוֶן רֶגֶל אֶרֶץ עֲרֵי *paleam comminutam aut fumum*, (quamvis posterioris significati exemplum forte non adfit.) ita Syrus *עֲרֵי* quod cum Chaldaeo *עֲרֵי* glumam notante, *Dan.* II, 35. procul dubio congruit. Accedit huc vis verbi עֲרֵי quod est *vehementer aliquid impellere, propulsare, disjicere*, ut amplius non compareat, (uti dicitur *Jes.* XIX, 7.) Sic usurpatur dissipatione, fumi *Psal.* LXVIII, 3. stipularum, *Jes.* XLI, 2. &c. Huic in fine annectitur affixum pleonasticum, ad majorem emphasin juxta nonnullos, cujus exempla in *Gramm. Tröst.* p. 128. Vocem רוּחַ aliàs homonymam, non de spiritu aliquô, anima aut angelo, sed de vento aut turbine esse accipiendam, satis docet præfens materia: hinc Chaldaus clarius expressit per עַל עֲרֵי quod notat *turbinem* seu procellam.

EXPLICATIO VERSUS V.

עַל עֲרֵי לֹא יִקְמוּ רְשָׁעִים בְּמִשְׁפַּט *ideo non stabunt impii in judicio*.) uti versu præcedente, impiorum fors infauſta proposita fuit simili; ita nunc sermone magis proprio declaratur: qui tamen cum præcedentibus eleganter cohæret. Velut enim glumæ aut paleæ, quantumvis magnô

acervô se uniant aut obfirmant, nullatenus tamen stare possunt irruente turbine; ita nec impii stare poterunt, severo illô sententiæ Dei decretoriæ vento contra eos prorumpente, sed citissime ad ignem vel temporalis vel aterni exitii proripientur. In Ebræo est radix קָם *surgere, stare* &c. quæ vel notat motum, sessioni aut cubationi oppositum, h. e. surrectionem, ut *Psal.* CXXXIX, 2. vel notat situm, erecti in loco suô consistens, h. e. stationem; quandoq; per metaphoram usurpatur de emersione vel erectione è lapsu aut infortunio, ut *Psal.* XLI, 9. *Prov.* XXIV, 16. *Amos.* V, 2. & quæ sunt alia hujus vocis significata. Quoniam igitur potest reddi & *resurgent* & *stabunt*; diversas quoq; videmus oriri expositiones, ita ut quidam Judæi exponant de impiorum tam quoad corpus, quam animam in morte interitu, ut nullatenus sint resurrecturi; quod tamen impingit contra *Dan.* XII, 2. (favere his possent *LXX.* καταστήσονται, & *Vulg. resurgunt*.) de Kimchii sententia vide *Hornb. contra Jud.* p. 575. Alii porrò explicant: *non fungentur judiciaria potestate, agentive judices*; cujus tamen expositionis locum nusquam se invenire potuisse dicit *Aretius Felinus*, (p. 9. b.) quanquam diligenter vestigaverit. Quapropter simplicissimum erit exponere, cum *Aben Esra* per עֲרֵי *non consistent*, h. e. non poterunt sustinere rigorem examinis divini, quomodo hoc verbum *Jos.* VII, 12. notat perstare, (*filii Israël non potuerunt stare*, i. e. subsistere.) & quomodo *Mal.* III, 2. dicitur (ratione phraseos:) *quis ferre poterit diem adventus ejus, quisve poterit stare* &c. non poterunt frontem sic exporrigere, uti nunc confveverunt; non consistent præ metu ac horrore, adeoq; ceu propria conscientia testimonio convicti causa cadent. Sic *Lekach tobh* reddit: *darum können sie nicht bestehen*: ita Chaldaus לֹא יִזְכֶּן בְּיוֹם רַבָּא *non insontes erunt in die magnâ*. Huc *Psal.* CIX, 7. dum judicatur (scil. ille iniquus,) *exeat impius*, h. e. convictus impietatis & flagitiorum perpetua notetur ignominia ac condemnetur. Confer *Helv. vind. V. T.* p. 234. Judicium verò accipi potest tam de divino impiorum in hoc seculo instituto examine, & per pœnas temporales executione, (ut *Jes.* III, 13. 14.) quam de magno illo & extremo judiciali die, ubi omnia facta in judicium afferentur, lataque sententia mox subsequetur supplicium æternum, ut *Cobel.* XI, 9. & XII, 14. Atque hoc insigne catholicumq; Dei judicium videtur innui per (ה) *emph.* cujus nota est () sub (ב) præfixo. Vide sis *Dn. Calovii anim. in Grot. b. l.* In neutro enim impii poterunt consistere, adeoque nec ad justorum cœtum, uti sequitur, admittentur.

וְהַטְּאִים כְּעֶרְוַת צְרִיקִים *neque peccatores in congregatione justorum*.) Repetendum hic est verbum è membro proximô; (*non stabunt vel consistent*) h. m. *nec impii, nec peccatores* (qui omnes impiorum species adeoq; *derisores* hic comprehendunt,) poterunt consistere coram rigoroſo Dei judicio, & propterea abrepti ad justam pœnarum executionem nullatenus stabunt, vel persistent in sanctorum Dei cœtu. Est verò עֲרֵי (à *R.* עֲרֵי *indixit certum locum aut tempus, convocavit*) in genere congregatio quævis, v. g. apum in leonis cadavere *Jud.* XIV, 8. malignorum, *Pf.* XXII, 17. taurorum *Psal.* LXVIII, 31. lapissimè verò in sacris עֲרֵי *cœtus filiorum Israël* usurpatur pro ecclesiâ *V. T.* seu toto populi cœtu, ut *Lev.* VIII, 4. *Exod.* XII, 3. 6. 47. &c. qui ipse tamen à summo duce nonnunquam etiam appellatur עֲרֵי יְהוָה *cœtus Jehova*, ut *Num.*